

14. 28.

D. F. G.
 DISSERTATIO DIÆTETICA,
 IN QUA
SPIRITUS
F R U M E N T I .
 PROPONITUR,

QUAM,
 CONSENT. EXPERIENT. FACULT. MEDICA
 IN REG. ACAD. UPS.

PRÆSIDE,
NOBILISSIMO ATQUE CELEBERRIMO
D: NO Doct CAROLO
VON LINNE,
 EQVITE AURATO DE STELLA POLARI,
 S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,
 MEDICIN. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
 ACAD. SCIENT. PARIS. UPSAL. HOLM. PETROPOL.
 BEROL. IMPER. BERNENS. LONDIN. ANGLIC. EDINE.
 MONSP. TOLOS. ET FLORENT. MEMBRO,
PUBLICO EXAMINI MODESTE SISTIT
P E T R U S B E R G I U S ,
 WERMELANDUS.

IN ACAD. CAROL. MAJ. DIE XIX. DECEMB.
 ANNI MDCCCLXIV.

H. A. M. S.

U P S A L I E

~~EXCEP~~ VIRO SPECTATISSIMO,
D:NO E R I C O
B E R G I O,
OFFICIN. FERRAR. AD WAHLÅSEN POSSESSORI.
PARENTI OPTIMO

In tesseram animi gratissimi, ob innumera in me collata paterna beneficia, dissertationem hanc Academicam Tibi, Pater Optime, dicare volui, debui. Ardentissimis supremum atque benignissimum Numen compellare suspiriis, quoad vixero, non desistam, dignetur senectutem Tuam praestare jucundam, omnique felicitatis genere cumulatissimam, eumque diem longe abesse jubeat, quo nos, qui Tuis sumus, matura Tua consilia & tantum prosperitatis fulcrum cogamur desiderare. Sic ex intimo pectore optat

OPTIMI PARENTIS

*Filius obedientissimus
PETRUS BERGIUS.*



I. N. 7.

§. I.



antiquiorem mundi faciem cum hac nostra recentiore, si conferimus, non minor certe, quam in insectis per naturam, aut in Libris Ovidii per ingenium, occurrit Metamorphosis. Ignoravit Spiritum frumenti, Tabacum, Coffeum, Theam, Saccharum, Porcellana, Sericum prisca illa simplicitas, nec nisi pauca noverat vinorum & aromatum genera, quæ tamen omnia nobis in vita quotidiana frequentari solent: & tamen prospera valetudine atque ætate homines nostri ævi æquabat, immo superabat sœpius; adeo ut dubium sit, utrum commoda sua auxerit, an vero minuerit humana industria. Seculum certe decimum quartum inventorum feracissimum, res longe maximas detexit. *America* enim & in Orientalem *Indiam* navigatio, *Pulvis pyrius*, *Ars Typographica* & *Spiritus Frumenti*, isto innotuere tempore; quæ usu profuerint, an abusu nocuerint magis, disquirant alii: mihi Spiritum illum Frumenti nostræ jam ætati, ad in-

infimam usque horum inum sortem tantopere adamatum, ac
fere necessarium, brevi dissertatione considerandum, sumsi.

§. II.

Liquor hic inebrians, *Hippocrati, Aristotelis, & Galeno* ignotus, apud *Arabes* creditur inventus, qui essentiam hanc in tincturis medendi causa exhibitam, ad *Egyptios* propagavit. Narrat *Raimundus Lullius* Anno 1310. tincturam hanc suo tempore nondum in Europa fuisse vitam. Sed *Villae Novae*, Anno 1315. innotuerat, unde *Epocha* hujus liquoris in Europa constat, & *Courtingius*, spiritum hunc cerealem *Villanovani* statuit inventum. Muticenses primi libris edicti ex uvis vitiatis cum copiole præparatum, Venetis majori mensura vendiderunt, hi vero, non sine lucro ad Metalloflores Germaniae curarunt exportandum. Est vero liquor *hic prodigiosa indolis & virtutis*, atque ut characterem, quem dedit illustris *Boerrhayius*, adhibeam,

1. Post æra levissimus, tenuissimus, simplicissimus,
purissimus.

2. Destillatione immutabilis.

3. Inflammabilis totus, absque fumo, foetore, fæce.

4. Volatilis totius atque odorus, saporosus.

5. Maxime dilatabilis a calore.

6. Facillime ebulliens igne.

7. Miscibilis omnibus fluidis.

8. Solvens seu Menstruum Resinosorum.

9. Vehiculum optimum Spiritus Rectoris Vegetabilium.

10. Conservans corpora animalia a putredine, fibras Animalium indurans.

11. Coagulans facile omnes humores corporis, excepta urina.

12. Purus, nervorum extremis adplicatus, nervos uno momento tabefaciens, sensu motuque privans.

§. III.

§. III.

Producitur autem hic spiritus sola fermentatione, maxime ex fructibus sujusqve generis atque apud nos, (diæteticæ enim illum consideramus & qualem jam nostrates adhibent) ex frumentis potissimum Secale, Hordeo, Tritico, quæ in farinam redacta pastaceam situlæ majori ingeruntur, atque assusa aqua, ebullitione ad hoc parata, per horam integræ ad dulcorem usque remo agitatur. Additur porro fermentum & operitur vas vestimentis; fermentatio per biduum continuatur, usque dum supernatet fermentum. Infunditur præparatum destillatorio, igni admoto; circumagitur bene, ne fundo crassiora adhæreant, ingratum & empyrevmaticum facile effectura saporem; Galea imponitur, adglutinatur. Refrigeratorium aqua impletur frigida; ignis infra servatur modicus, ne nimium ebulliat. Quod sic prima vice exstilla, vappa dicitur, & vasculo servatum, iterum destillatur, ubi quod primum emittitur, album est, guttarumque primarum gerit nomen, atque externe adPLICatur passim. Destillatio procedat lentius, ne vesica evomat crassiora. A nobilioRibus tertium refigatur, ut sapor existat purior. Quod in destillatorio residet, fæcibus admixtum, pecudibus alendis inservit. Ceterum multa de hoc processu dici possent, si res chemice foret pertractanda: cum vero sic a longe Celeberrimo ad hoc Lyceum chemicæ & Pharmaceutices Professore, D:no Doct J. G. WALLERIO in Chemia Physica, Antio 1759 edita, graphicè sit descriptus, ad hunc librum lectori ablegato, diæteticæ tantum inhærens considerationi effectum liquoris destillati in corpore humano, atque adeo usum aut noxam, notare conabor.

§. IV.

Spiritus hic ut sapore acris, partes solidas & fluidas adficit, ut odorus vero & volatilis, in cerebrum agit
&

& systema nervosum. Ut vero hoc intelligatur reius, adserita mea a posteriori probabo, seu per experientiam, quæ in diæticis, Physicorum experimentis respondet, quæ nihil sumit, nisi quod experimento confirmari possit.

§. V.

Veteres triplicem statuebant animam animalium, Vegetativam, Sensitivam & Rationalem, quarum illam in medulla spinali, istam in medulla oblongata, hanc vero in cerebello residere affirmabant; neque hoc prorsus sine fundamento. Nam tres easque differentes observabant functiones in substantia medullari corporis, principium nempe medullare, quod in nobis, insciis ac nolentibus agat, quod illi Vegetativam Animam, Stahliani autem simplici nomine animæ appellabant. Pungitur ex. gr. acicula corpus, intumescit, inflammatur, tandem suppuratione facta, maturatur vulnus, atque natur, Sangvis hic corrumpitur diæthesi acida vel putrida, & ad medullarem substantiam accedens, febrem excitat cum horripilatione, calore & crisi tandem evaniente. Febris Hemitrichæ vehementissima, hæmorrhoidibus cœcis, cum horribili dolore intumescentibus, per ostium sæpe cessat & suspenditur: his vero arte aperitis & dolore hæmorrhoidalí cessante, febris cursum suum continuat. Cor pulsat, motus peragitur peristalticus, excretiones secernuntur, ope nervorum, quibus omnis debetur motus, atque haec omnia nobis etiam nolentibus eveniunt. Anima sensitiva est, quæ sentit ac percipit per organa externa, motumque efficit voluntarium, in ambulatione, cursu, aversatione, adpetitu. Rationalis anima judicat deliberat & ratiocinatur, estque in Animalibus nonnullis, pro simplicitate cerebri, valde exigua, ut in insectis ubi non nisi simplex fibra Medullaris ad caput procedit, aut in conchis, quæ tantum a-

perire sese alimentum fugendo recipere & aperturam claudere sciunt. Quid quid sit, tres quasi diversos observamus effectus in corpore animato, atque in singulos Spiritus Frumenti multiplex deprehenditur influxus.

§. VI.

Omnis quidem spiritus destillatus nervinus est, in quo substantiam agit medullarem, quemadmodum omnia volatilia; fixa vero, seu non Volatilia, vix ullam efficiunt in hac parte mutationem. Aqua enim, qua tali, ceterisque ejusmodi ingestis, in functione animali non mutari videmur.

§. VII.

Est igitur, respectu triplicis iam dicti principii medullaris, vinum hoc facultatum:

Analeptum, quod langvidis robur addit. Naribus tantum attractum deliquium passos excitat, unde ægroti ejusmodi nalo ad moveri solet spiritus hic destillatus, item vinum & acetum, quæ ceu fermentata & volatilia, pro quantitate spirituosi, quod continent, in nervos agunt. Carpo etiam in morbo exhaustis hæc inungi eandem ob causam solent. Labore, itinere aliquaque molestiis fatigatus, spirituosis per momentum recreatur, qui cibo per plures horas refici non posset. Peregrinantes Mercatores per deserta Arabiæ & Persiæ arenosa in summis caloribus, siti atque lassitudine deficerent, nisi adesset spiritus frumenti aquæ immiscendus. Si enim meram adhiberent aquam, cæhexia & hydrops esset metuenda, nimiumque sudoris profluvium. Spiritus autem hic mirabilis langvorem tollit sudoremque sistit nimium. Qui per æstatem in nostris terris iter faciunt, licet unicum domi per diem vix sufferant spiritus hujus haustulum, in quovis tamen diversorio portiunculam sine incommodo sumunt, non exiguo virium incremento. Nos, liquori huic minus adfueti, operarios repetitis hunc vicibus quotidie impune forbillantes miramur, illi vero inde

inde suas vires firmari sentiunt. In fodiinis atque officinis nostris metallicis laborantes, liquore hoc utuntur diligentius, sine quo lassitudinem ac sudorem ab igne provocatum perferri posse negant. Sudorem sane hoc liquore impediri, aestivali tempore, tota die cernimus, &, quo quis lingvidior sit, eo ad sudandum esse proniorem.

§. VIII.

Diureticum; facit enim, ut functiones involuntariæ in corpore peragantur promptius, quia substantiam medullarem, quæ impelluntur, roborat. Urinam spiritu frumenti pelli, ex illis adparet, qui dysuriam, ex refrigeratione ortam, sumto hujus liquoris haustulo, superant. A quam sub usu Acidularum cessantem pari medicamine provocari notum est. Calculosis vinum hoc Coffeæ admixtum, utpote diuretum præstantissimum, insignem præstat usum. Nobiles ruri habitantes, spiritui magis frumenti, quam Theæ decocto adsyeti, pluribus hujus potionis cyathis aliquando forte consumtis gravantur, quo facto, spiritus frumenti portiuncula necessaria & quidem promta est medela.

§. IX.

Alexipharmacum: calorem enim augens, transpirationem pari gradu promovet. Redolet sane halitus Spiritum Frumenti, si quis hunc ingurgitat copiosius; qui utrum e faucibus oriatur, an vero transpirationi debeatur, non adeo liquet. Vapor autem hic per os adscendit, eique instar atmospheræ adhæret, unde miasmata arcentur noxia & contagiosa, e putridis maxime orta, corpus alioquin facile infectura. Nautis igitur nostris, militibus ac rusticis, spiritus hic unicum fere est Alexipharmacum, licet abusui valde sit obnoxium. In Dysenteria certe contagiosa, quidquid reclamant plurimi, prudens ejusdem usus, ad præservandum valet plurimum:

hinc

hinc qui sumtis quotidie aliquot haustulis, in eadem cum agroris domo versabantur immunes, cessante hoc usu, contagio fuerunt occupati: Contagium enim hujus morbi, Acaris absolvitur Sironibus, quos spiritus hic sine mora perimit. In expeditione nostra nautica Anno 1742 nautis, loco spiritus frumenti, vinum dabatur, eeu minus noxiun; sed horrida multos absunxit Dysenteria, donec spiritus hujus praeservantis rediret usus. Ad Indias navigantes, aquam coguntur bibere putridam, monoculis aliisque vermibus impletam, sed hi, adfuso parcius, hoc spiritu statim moriuntur: & subortis ex aqua ejusmodi torminibus, poculo hujus liquoris curatio absolvitur.

§. X.

Quæ de copiosis ex ore ebriosorum exhalationibus nuper dicta sunt, vulgarem de spiritu frumenti copiosius sumto, in faucibus ebriorum ignem concipiente, traditionem memoriae subjiciunt. Lactis enim copiam confessim adferunt plebeji, funestum hoc extincturi incendium. Sed res fidem omnino superat. Vidimus quidem hominem in platea heic Uplaliæ jacentem hoc potionis genre ebrium & quasi sopitum, cuius e faucibus albicans prodibat atmosphera, audivimus plebem adstantem lac identidem poscere, ignemque in ore miserum conceptum clamitare. Nullum vero lucentis flammæ indicium conspicere nobis potuit, nec halitus forte ullam, si tenebræ fuissent, daturus videbatur lucem. Si quis vero aliter talem viderit casum, adcuratius singula momenta & cum aliis communicare debet.

§. XI.

Cordiale, calore enim suo cordis pulsum ita irritat, ac celeriorem reddit, ut febrem adesse crederes. Igne igitur hoc potentiali, rustici iter facientes per hiemem in diversoriis passim sese calefaciant: sed causa maxime

volatilis, stabilem non præstat effectum, nec certe hic stimulus magis, quam equo calcar, corpori frigido robur addit, sed potius eadem postea proportione refregerat, qua stimulaverat antea. Corpus enim a transpiratione vehementiore, aerem frigidum copiosius attrahit, unde potionē hac calefaciente usi frigoris vim, post breve tempus, sentiunt fortiorē, eique diutius expostī, Perniones, Pleuritidem, aliosque morbos contrahunt. Et hoc forte nixi principio, spiritum frumenti, pulvere interdum pyrio admixto, in febribus ardentiibus ad calorem minuendum Norrlandi propinanſt rustici.

§. XII.

Principium sensitivum spirituosis exstimulari videamus. Hæc enim moderate sumta, functiones in corpore languescentes reddunt alacriores. Homines licet antea segnes & tardiores, hausto vini eyatho, alaci & prompto esse solent animo, immo, si nimium adsumferint, res vix alioquin cogitatas, justo majori adgrediuntur audacia. Excitans igitur merito vinum hoc salutatur.

§. XIII.

In principium agens rationale, *Izebrians* dicitur. Hanc enim functionem spirituosis liquoribus adjuvari exempla docent quotidiana. Quis enim nescit, meditatione fractis, novos inde accedere spiritus, multosque Poetas per celebres, mirum spirituosi liquoris tensisse effectum? Nervis enim hujus ope excitatis, juvenilem fere obtinent ingenii alacritatem, eosque versibus suis addunt lepores, quos, ab Aquæ potatoribus frustra expectaveris. Sic oratione vel sacra vel litteraria vel alio quodam scripto, quod profundiorem requirit meditationem, consignando per totam diem occupatus, omnia tandem inveniet obtusa: sed accepto Rectore spirituoso, reparatis viribus novus acceleratur vigor. Justo autem majori sumta quantitate, nimiam inducit alacritatem,

tem, ut multa faciat, dicatque ebrius, quæ suscipere aut defendere alias nequeat. Quæ arcana esse deberent divulgit, sermonemque instituit, a vita sobria & potu aquo prorsus alienum. Sensus etjam res obvias, aliter quam sunt, immo quæ non sunt. representant: *cfr. dissertatio de Inebriantibus.*

§. XIV.

Stomachicum: quatenus est nervinum & calefaciens appetitum irritat. Hinc a plebejis, & rudioribus adeo diligenter ante prandium & cœnam sumitur, ut multis hoc diæticum plane sit quotidianum. Quam parum autem hoc conducat, tum imprimis sentient, ubi hausto frumenti spiritu, per dimidium horæ cibum exspectare coguntur; tum enim appetitus, ex proportione stimuli debilitatur. Tironibus etjam Medicinæ notum est, stomachum, jusculis pingvioribus, petasone aut carne pingvi gravatum, haustulo spiritus frumenti, pingvia solventis & vires vitae excitantis, levari. Si autem quotidie hoc sumitur antidotum non meliorem præstabat effectum, quam quotidiana nonnullorum Laxantia, quæ id tandem efficient, ut stomachus non nisi stimulatus, functionem peragat, equo, ad flagellum tantum molienti gressum, haud absimilis.

§. XV.

Coagulans sangvinem: spiritu enim frumenti admixto sangvinem venæ sectione eductum, supra patellam coagulari videmus, unde etjam Chirurgi in Hæmorrhagiis vehementioribus, alcohol vini adlicant, ut sanguis in polypos concrescens vasorum obtruncatorum & ruptorum obturet extremitates. Sangvis intra vasa vel tantillum coagulatus, obstructiones in vasis efficit minimis, sicque febres accedit phlogisticas, Pleuritides, Peripneumonicas & quæ mala sunt ceteta. Per sorbillationes spiritus frumenti, febres nonnulli, passim incurruunt leviores, dein tussiculam pertinacem, identidem

securrentem; unde tandem Hæmoptysis & Phthisis existit letifera. Hæmoptysin sæpiissime polypos habere in Arteria Pulmonali, sectiones mortuorum docent, Polypi autem spiritu frumenti generantur, unde facile colligi poterit, quantum ex metu hæmoptyseos, hic potus habeat periculi. Quin & ob tussiculam, que a spiritu frumenti, nomen vulgo sortitur, & in Phthisin haud raro potionis hujus amatores præcipitat; mirari satis nequeo, quod vulgus, jejunante adhuc stomacho, majores haustus sumere audeat, contra veterem regulam diæticam: *vacuis committere venis, nil nisi dulce licet.* Nutricem certe, quæ jejuna adhuc, sumto majori hujus liquoris haustu, paulo post infanti mammae dederit, convulsiones eidem, ac mortem aliquando accelerasse novimus; manifesto sane indicio, quod brevi hic spiritus totum corpus nutricis pertransierit,

§. XVI.

Ex eo, quod sanguis, spiritu frumenti coagulatur, nonnulli Medici mechanici Chirurgos reprehendunt, quod fugillationibus, contusionibus atque aliis inflammationum generibus, ubi sanguis subest crassior fomenta spiritu frumenti tincta applicare solent, cum spiritus hic per se sanguinem coagulet. Nos vero hanc curandi rationem innoxiam judicamus; linteum enim complicatum spiritu frumenti imbutum exprimunt, ut halitus tantum volatilis per cutem ad nervos læsos, & fere mortuos penetrat, qui hos excitando vires vitae corroborat, unde referatur sanguis; neque enim spiritus externe applicatus, sanguinis coagulationem efficere potuisse quisquam observavit.

§. XVII.

Ad lac coagulandum spiritum hunc satis aptum esse experientia docet nutricum, potu hoc spirituoso abutentium, quibus lac coagulatum proprium bubones causatur

mammarum. Salivam etiam spiritu frumenti coagulari obseruamus; lingua enim & fauces post haustum majusculum aridior evadit, atque saliva grumescit, quocirca res nobis succurrit notabilis, quod eorum qui potuere intemperantius utuntur, vena festa, massam videamus sanguineam sero maxime constare, paucissimis vero globulis rubris, adeo ut sanguini hydropicorum tere sit conformis: Nonne hoc solidorum, post stimulum fortiorum laxitati est tribuendum? Alioquin enim summo calidore hoc medicamento, sanguinis deberet esse crassior. Nimius certe potionis hujus usus, hydropem multis adfert sive a liquoribus intra glandulos coagulatis, sive a dyscrasia humorum, sive a laxitate, eam deduxeris.

§. XVIII.

Specificum nunnihil Anthelminticum habetur spiritus frumenti, & lumbrici certe isto necantur spiritus; unde medicamine domestico, Spiritum Frumenti, cum infuso Allio, adversus vermes propinant nostrates. Sed majorem haec curatio dosin postulat, alia ex parte magis noxiā. Ad ascarides vero, qui in intestinis plerumque versantur crassioribus, non nisi amissa jam virtute pervenit medicamen hoc spirituosum.

§. XIX.

Solida indurat: corpora animalium in Musaeis curiosorum spiritu vimi in longa usque tempora conservantur, fibris nempe admodum compactis atque consolidatis. Chirurgi hypersarcosin vulneris mollem, spiritu vini solidiore reddunt & vulneri cicatricem obducturi eundem adplicant, nec non ulceribus cachecticis ad gangrenam pronis. Ceterum spiritum hunc omnes indurare glandulas, & Pulmonum, Lienis, Hepatis, Pancreatis &c. dissectio docet intemperantium, in hoc potionum genere, anatomica. Cfr. act. Parif. 1706. ut alia

taceam. Fibris ad justam redactis rigiditatem, crescere cœlinimus. Catuli Canum, si dorsum Spiritu Frumenti intinxeris, simulque eum degustare interdum coegeris, tenelli fiunt Pygmei, Canes melitenses. Visebatur puer viginti annorum Ultrajecti, qui ad discessum redditumque navium, ubi spiritus frumenti copiosus semper concedebatur, erat assiduus, staturamque habuit octenni competentem. Puer Johannes Erici Hedemorensis spiritu frumenti ad septimum annum nutritus, cubitum cum quadrante longus, librasque, ponderatus a Nob Domino Praefide, tres & viginti tenuit. Imprudenter igitur tenioris fortis homines Stockholmiae & alibi, qui per totum diem a domo sua atque liberis esse coguntur ad hos exhilarandos, cyathum hujus spiritus, pane immenso evanandum tradunt. Non autem turbare nos debet, quod Spiritus Frumenti potatores videamus, nonnunquam pingves, quod naturæ utique singulari tribendum est, quæ partes acribus maxime expositas pingvedine obvolvit, unde intestinum rectum plerumque pingvius est & renes plerorumque animalium, pingvedine sunt obducti. Bibacibus certe interdum pingvelcentibus, idem accidit; sed pingvedo haec bona non est, unde pallidi etiam atque tumescentes conspiciuntur.

§. XX.

Reddit fibras fragiliores, quod corpora in Musæis spiritu hoce conservata, ostendunt. Sues fæcibus, post confessum hunc spiritum relixis, saginati adeo fragilia, Observante Hoffmanno habent, intestina, ut farcimini faciendo vix inserviant. Et de acerrimo quodam hujus potatore a se anno 1733. discesso Detarding narrat, fuisse fibras ejus musculares omnes tantæ fragilitatis, ut hamulos, seu ansas anatomicorum, non sustinerent.

§. XX.

Annis commutari corpora nostra atque a pulposis
&

& Mollioribus fibris, ad aridas ac duras, id est, senectutem, nos perduci notum est. Spiritus igitur frumenti intemperanter sumptus senectutem accelerat, vitam nostram reddit breviorem. *Cranius de Homine* pag. 463, Batavum quendam refert 40. annorum, qui hunc spiritum sorbillando, lineamenta, gestus, faciem & canos haberet, annis septuaginta prorsus adcommodatos. In Itinere Scanensi, de conterraneis suis Smolandis narrat Nob. D:rus Praefes, quod non sine admiratione vide-ret inter rusticos, sibi etate aequales, canitie capillorum, & barbae, tremente capite facieque rugosa senes referre septuagenarios, cum tamen vix quinquaginta haberent annos. Mulieres contra admodum conservatas prohibet & hanc disformitatem abusui hujus liquoris tribuit.

§. XXII.

Si omnes enumerarem morbos, quos potui huic spirituoso, originem debere Medici observarunt, nullus foret orationis exitus. Nonnullos tamen breviter nominasse sufficiat.

Febres inflammatorias spiritus exitat frumenti immoderate sumptus, praesertim apud juvenes, quibus nocet maxime.

Phtisis quotidianos hujus liquoris potatores, Poly-pis nempe intra vas a Bronchialia generatis, plerumque jugulat.

Hydrops, inde glandulas indurando saepissime oritur, quod in rusticis ad Polum arcticum Spiritu frumenti tantopere abutentibus, observatur facile. Mirum autem est quod rustic Russici, qui potui huic pariter inducere videntur, rarius tamen sunt hydropici. Eius forte Allii hos preservat, quod per se non raro hydropem tollit.

Icterus ab hoc potu saepe generatus idque fel coagul-

gulando, ductum obstipando cholidocum, sive calculos generando felleos.

Hæmorrhoides generat. Plerique saltem hæmorrhoidibus obnoxii pressionem in sede sentiunt, quoties hunc hauriunt liquorem. D. Assessor *Moreus*, qui praxim medicam Fahlunæ diu exercuit, eos, qui usi hujus spiritus quotidiano adservi, per aliquot eundem annos intermissione, iterata postmodum sorbillatione, omnes hæmorrhoidibus correptos fuisse observavit.

Tumores inducit, quod testantibus strenuis hujus liquoris helluonibus demonstratione non indiget. Nominare nolo Medicum haud ita pridem de mortuum, qui nisi duobus sumtis hujus nervini haustulis, ne quidem formulam medicam prescribere valuit.

Phrenitides cauſſatur. Duos Stockholmiae Nob. D. Praeses adiit ægrotos, qui Phrenesi ob ſolum hunc potum ſine febri, ſemel autem laepius per menſem redeunte & quinque aut ſex dies durante laborabant, ut vi omnino cefent cohibenti.

Bacchia (Bacchi ſigniferum nonnulli vocant) vini quidem potatoribus, naſum tumentem ac rubicundum, rubrasque in facie verucas adtert. Sed abuſus quoque Spiritus frumenti, ſpeciem hujus adducit atque naſo rubro aut livido, circumiectis plerumque verucis, intemperantes notat.

§. XXIII.

Supereſt jam, ut de uſu Spiritus frumenti in gene-
re diſleramus. Agit ille in corpus humanum fortiter,
et que inventum practicum, cuius in Chemicis, Pharma-
ceuticis, artibusque aliis eximius eſt uſus; Ied ut diate-
ticum quoddam commendari nullo modo debet. Na-
tis, frœor & pifcatoribus, exhalationes & attractiones hu-
midas tollendo, prodest, monticolis quoque & aliis du-
rissimo labore fatigatis conuenit, ſed ut medicamentum.

Agit

Agit enim & stimulat violentius, quam ut pro alimento reputari queat. Et dicere omnino ausim, abusum hujus liquoris, qui nostro tempore maxime in plebeis prævaluit, plures omnino abstulisse homines, quam bella plurima multis civium millibus interfessis nobilitata. Vixit certe ante hunc inventum spiritum gens mortalium, vivunt familiæ nonnullæ aut personæ, usum ejus aspernatae, & quidem illis, qui utuntur, feliores. Quid enim homine liquori huic quotidie indulgente miserius? Tales omnino matutino tempore languent, ut vix per aliquot horas vivere posse videantur. Tremunt manus, torpet lingua, loquaciam vix admittens, adpetitus deest, pallor facies, angit intra præcordia dolor, vermis instar rodens ac dilanians. Ad cunctas sane functiones sunt inhabiles; horologio, catena relaxata, cessanti non absimiles, donec ne star illud suum hauserint. Vitam hi non tuam, sed Spiritus frumenti, vivunt. Qui vere eo usque non processerunt, sed haustulis sic dictis diæticis, mane, ante & post prandium, ad coenam & paulo ante somnum sumendis adfueri, Bacchi vere sunt Candidati, summos in arte honores non adepti, sed consuetudine tamen brevi ad ipsum fastigium promovendi. His adpetitus domi nullus, sed aliunde coemendus. Dolendum sane, quod multi etiam nobiliores ac doctiores per consuetudinem eo sint perdusti, ut diætam ejusmodi judicent necessariam. Nullus sane per Europam potus animum nobilissimum dementare hominemque in bestiam transmutare citius potest, adeo ut in cauponis, nuptiis aliisque solennitatibus multos inde turbatos videamus, non nisi externam hominis speciem præferentes. Tempore quo spiritus hic in patria nostra interdictus fuit, minor inter milites & rusticos, testantibus Præfectis ac Judicibus, facinorosorum & audacium reperiebatur numerus; & tamen

pro igne hoc potentiali & interno, tanquam pro aris & focis, vulgus militat. Prohibito inter Anglos anno 1736 hoc spiritu, tantus Londini plebis existit motus, ut introducatis in urbem militibus impedienda foret rebellio. Nocentissimum est junioribus, si mane & in prandio hunc haurire liqvorem adsvererint. Nam consuetudine sensim imbuuntur prava, nullis postea monitis ac demonstrationibus tollenda, sique perniciem sibi ipsis, dedecus propinquis suis accelerant. Multi haustus majores, seu quatvor unicas Spiritus frumenti fortissimi jejuno adhuc stomacho ingerunt, & miranda omnino est naturæ vis, quæ hanc violentiam saltem ad tempus superet. In Hollandia vero & aliis terris pitiflando vel vigesies sibi invicem unum propinant convivæ cyathum, nostris uno hausto evacuandum, quo factò dutius persistunt, & minorem, liquoribus corporis acri suo adfluxu dilluentibus sentiant noxam. Laudi apud nos dicitur fortissimum haurire spiritum; & qui dilutiorem amant, sàpè ridentur. Sed vanissimam hanc opinionem tempus refellit & contrarium ipso effectu ostendit. Obvertunt ferventioris spiritus potatores, multos huic liqvorí deditos abstemiorum æquasle ætatem: sed in causâ constituenta aberrant plurimum. Si enim majorem consulimus numerum, facile patebit, spiritum hunc meracius portantes raro vitam habuisse diuturnam, leniori autem contentos, ad grandem frequentius pervenisse senectutem. Paucis: plures Spiritu frumenti, quam pulvere pyro, ante tempus occubuerunt. Corrumpit hic liqvor gentem, intemperantius huic deditam, homines reddit infirmos & miserios, ut qui hunc expelleret hostem, plus patriæ adferret commodi, quam qui fortissimos domuit rebelles.

§. XXIV.

De effectibus spiritus frumenti Politicis & Oeconomis

etis multa forent dicenda, si ad nostrum hæc forum pertinerent. Centena millia tonnarum frumenti ad liquorem hunc conficendum in magna quadam urbe quotannis consumi referunt, ubi viginti quinque millia tonnarum ad alimenta sufficiunt. Si centena circiter millia prædiorum per Sveciam numerantur, quorum quodlibet tres quovis anno tonnas spiritu frumenti destillando consumit, hoc trecenta quotannis aureorum millia efficit, quæ sane insignis foret divitiarum accessio. Frumenta ad viatum necessaria raro producere potuit patria. Si vero frumentum omne, quod jam arte chemica in spiritum abit, conservaretur, frumentis exterorum conqui- rendis supersedere possemus. Vulgus ob porcos alienos confectionem Spiritus frumenti necessariam contendit. Sed etjam ante introductum hunc liquorem porcis gaudebat Svonia, & cives quidem, qvam Sues, conservare satius est. Emamus Lardum centies mille aureis, & ducenta saltem aureorum millia, sine ulla lardi inopia, servabimus. Ad seruorum quoque merendam, quæ sumtuosior alioquin futura esset, Spiritum frumenti commendari audivimus; sed cum liquor hic nunquam in bonum abeat chylum, & vires laborantis nutritioni ejus respondent; labor enim solida terit, per nutrimentum restituenda; sequitur, ut ad laborandum diæta ejusmodi famulos reddat ineptiores.

§. XXV.

Coronidis loco hæc addere placet. Qui helluo spiritus frumenti, ex spirituosis maxime noxii, factus est aperitus, caveat tamen ne simul ac semel abusum abrumpat, sed sensim & lentissime decrescat. Certissimæ enim docent observationes, ita facientes hydroponem incurrire perfectam, quam ne quidem totis Pharmacopoliis, optimus tollere possit Medicus, Rogatur non raro Medicus de-

11. 4. 98

remedio, helluonibus spiritus frumenti aversationem procuraturo, ut evadant abstemii, sed dolemus in materia Medica universa nullum esse in hanc rem specificum. Vomitorium cum vehiculo e spiritu frumenti, aliqui interdum, sape nihil praestitit. Superandum est hoc malum eodem, quo contractum erat, modo, consuetudine sensim inducenda. Caveat igitur mature hunc morbum, quicumque de sua suæque Familiaæ incolumitate atque existimatione est sollicitus.

S. D. G.



Gedruckt nach Art
Druckerei Zürcher
Zeitung 11. 106

Fl